

47^v° ydolla | & sunt sub dominio magni can. ista vero est ultima ciuitatum dominiij *adorat ydola*
Qinsay quia(?) regnum cuius capud est ciuitas Qinsay // —

Cum disceditur ab ultima ciuitate regni Qinsay que chuçu appellatur intratur
in regnum fugui & inde discedendo itur per dictum regnum fugui sex
dietis inueniendo multas ciuitates & castra que sunt sub dominio magni *adorant ydola*
can gentes adorant ydola & respondet ciuitati fugui. viuunt de mercimonijs &
artibus & habent de omnibus uictualibus habundanter habent etiam uenationes
& aucupationes auium & bestiarum multas ibi sunt leones feroces & magni
nascitur ibi çinçiber & galanga & diuerse maneries specierum ultra modum nam
pro ueneto uno grosso bene octuaginta libre recentis çinçiberis haberentur item
nascitur ibi quidam fructus similis çafrano. set çafranus non est tamen ad idem
opus ualet ad quod & çafranus comedunt itaque gentes ille maneries quaslibet
de carnibus. nam comedunt & humana[m] carnem ualde libenter. si homines
gladio uel aliter occiduntur. set si morte naturali moriatur non & ualde carnem
ipsam bonam reputant & sapidam homines uero qui ad exercitum pergunt qui
sunt pro armis faciunt se tundere capilos usque ad auriculas & in vultu faciunt
se depingere cum açuro. & omnes incedunt pedites excepto capetano eorum
48^r° portant lanceas & enses & sunt crudeliores homines qui reperiantur | in mundo.
quia cotidie uadunt occidendo homines quibus occisis sanguine[m] primo bibunt &
post carnem edunt. Et continuo procurant homines occidere. ut eorum bibant
sanguinem & postmodum carnem edant nunc dimitentes de hoc de alijs dicemus.
Noueritis quod in capite trium dietarum ex supradictis sex inuenitur quedam
ciuitas nomine qenlinfu que multum est nobilis & magna cuius gentes adorant *adorat ydola*
ydola. sunt sub dominio magni can & respondent ciuitati fugui. ciuitas ista tres
habet pontes qui sunt de pulcioribus & melioribus qui reperiantur in mundo.
nam sunt longitudinis plurium quam centum pasuum & largitudinis bene octo &
sunt de lapidibus & columpnis marmoreis viuunt gentes de mercimonijs &
artibus habent syricum in multa quantitate Ibi nascitur çinçiber & galanga
laboratur ibi tantus panus bonbicus de filo torto/ quod in tota prouincia mançi
de ipso habetur/ in ciuitate ista sunt pulcerime mulieres/ sunt etiam ibi galline
que penas non habent set pilla quemadmodum murilege habent & sunt omnes *galine pilose s[ine] penis*
nigre. & oua pariunt quemadmodum nostre. que ualde sunt ad comedendum bona.
alia uero non sunt ibi digna relatu/ quare ult[er]ius procedemus referendo de alijs
dietis tribus ex sex supradictis. Inueniuntur itaque in eis multe ciuitates & castra
in quibus sunt mercatores & artifices multi & mercimonia quam plura habentur
ibi habundantia syrici gentes adorant ydola & sunt sub dominio magni can. *adorant ydola*
48^v° habent insuper uenationes | & aucupationes multas. leones sunt ibi horribiles &
magni. qui dapnum uiatoribus multum ferunt. Et in fine istarum trium dietarum